MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80230-16

AUTHOR:

STEUBER JOHANN A. G.

TITLE:

DE LINGUAE LATINAE USU NON TOLLENDO...

PLACE:

LIPPSTADII

DATE:

[1818]

Master Negative #

91-80230-16

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Steuber. Johann Andreas Gottfried, 1786-1825?
De linguae Latinae usu non tollendo sed commendando, scripsit rectoris inaugurandi causa d. XXI. augusti CIↃIↃCCCXVIII, Joannes Andreas Godofredus Steuber... Scholae Lippstadiensis rector vocatus.
Lippstadii, Typis Langianis, [1818]
36 p. 22 cm.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9/10/91 INITIALS RK
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE

LINGUAE LATINAE USU

NON TOLLENDO SED COMMENDANDO.

SCRIPSIT

RECTORIS INAUGURANDI CAUSA

d. XXI. AUGUSTI CIƆIƆCCCXVIII

JOANNES ANDREAS GODOFREDUS STEUBER,

D. PHILOS. AA. LL. M.

SCHOLAE LIPPSTADIENSIS RECTOR VOCATUS.

LIPPSTADII,

TYPIS LANGIANIS.

Non est, Lectores benevoli! quod anxio animo circumspiciamus argumentum huic diei ita conveniens, ut statim appareat, me de rebus scholasticis perpauca esse praemissurum. Etenim harum rerum materies in tantam, quantam vix credideris, molem in dies satis superque crescere coepta est, ita quidem, ut vix ullus paedagogices locus reperiatur, cui non satis luminis affuderint viri, qui, veriti, ne scholae nostrae frivolo seculi genio accommodatae in Philanthropea recentissimi moris transformarentur, de incerto nostrorum moliminum ac conatuum exitu ad ravim usque declamabant, identidem asserentes, ita omnem liberalem institutionem cessaturam esse. Quod ne accideret, Deus O.M. generi humano ita prospexit, ut hodie juventutem humanitatis disciplinae consecratam antiquitatis eruditae litteris imbuendo reparare conemur, quod multi paucis abhinc annis hinc illinc negligere haud erubescerent.

Sed bona verba! quaesumus; Scholae, quae est Lippstadii, *Patroni* ac *Moderatores* gravissimi omnique cultu prosequendi me, quem Rectorem eidem praeficerent, haud indignum censuerunt. Quo munere fungi eo minus recusare volui, quo ardentiori studio humanitatis litterae in Westphalia excoluntur omnisque liberalis institutio suos fautores ibi nanciscitur. Confido igitur fore, ut, etsi nihil aliud, quod in me laudent, rei scholasticae adjutores ac fautores offenderint, me in Schola nostra (cui Deus faveat!) reformanda, inque suam dignitatem ac famam late quondam propagatam restituenda adjuvare haud dedignentur, mihique,

id consecuturo, ut Deo volente juventutem disciplinae meae traditam vitae probae ineundae reddam aptam, bene cupiant. Qua in re consequenda Scholae nostrae *Patronos* ac *Moderatores* quam plurimum venerandos, rei scholasticae *Cultores* spectatissimos, omnesque hujus urbis multis nominibus mihi nunc carissimae *Ordines* honoratissimos jam ita occupatos teneri video, ut iidem, nullis parsuri sumtibus, cum majorum instituta tuendo, tum liberalioris institutionis fundamenta fulciendo, omni studio elaborent. Quae cum extra omnis dubitationis aleam sint posita, jam poscor sancte polliceri, mea me vita nil carius unquam esse habiturum, quam ut in juventute erudienda omnem operam ponam. Itaque cum in ipso hujus tam insigni favore mihi demandati muneris ingressu, quod ratio moris antiqui postulat, qualecunque earum, quas profiteor, litterarum edendum sit specimen; nonnulla eorum, quae nuper de linguae latinae usu non tollendo sed commendando disserui, nunc paullo diffusius exponere apud animum constitui.

Per se jam intelligitur, gentibus ac nationibus, quae, quod in reipublicae summis beneficiis recte habetur, sui juris semper esse velint, eo inprimis videndum esse, ut linguam vernaculam, ejus, quod pro se quisque cogitet et sentiat, optimam interpretem, magis magisque perpoliant. Vix est, quod provocem ad historiae testimonia, populos, qui bella bene gessissent, non in eo acquievisse, ut victi victoribus parerent ac tributa penderent, sed, quod multo majoris erat momenti, ut leges et jura acciperent. Hinc saepe factum est, ut victi cum victoribus in unum corpus sensim coalescerent. Ut olim Romani, ita hodie Francogalli id ante omnia spectabant, ut, cum primum hoc illove regno potiti essent, civibus in ditionem acceptis ne lingua vernacula quidem, prout vellent, in posterum uti liceret. Nemo, cui patria carior vita sua est, unquam erit immemor, quanta calamitas, quanta miseria in nos fluxerit, cum Francogalli, qui nimis immoderate ingrateque nostra facilitate abutebantur, nos bello devicissent. Ne autem de hoc temporis spatio, ubi nominis germanici decus e medio sublatum esse videbatur, fusius loquar, id tantum mihi commemorandum puto, nomen germanicum exterorum populorum sordibus conspurcatum apud neminem potuisse diutius esse in admiratione, nisi Deus O. M. cujus benignitatem ac clementiam grato atque pio animo agnoscere omnes jubemur, in nobis illum excitasset animum, qui, nulla timens pericula, hostes ex patria nostra profligavit, ut eam nunc in libertatem vindicatam summa cum voluptate videamus. Lingua francica, cui multi, cum necessitate coacti, tum aliena suis anteponentes, jam adsuescere gestiebant, non in aedificia magnifica solum, verum etiam in casas irrepere coeperat. Dii coelestes, omnis injuriae graves ultores, nobis ita prospexerant, ut illa pestis, qua quidem haud perpauci imbuti erant, sanguinem nostrum non plane siccaret, nostraque corpora exureret. Ab insania enim atque dementia non multum absunt, qui, licet oculis pateat, Germanos, nisi a tramite lubrico declinassent, prorsus pessum ituros fuisse, hac in re nil conspiciunt periculi.

Quae cum ita sint, mihi quidem ii non probantur, qui patriae nullum allatum iri detrimentum identidem clamitant, etiamsi in lingua vernacula perpolienda haud multam operam ponas. Ne dicamus eos hospites his in rebus, sed insipidos ac jejunos, qui, dum in pulverem et solem procedere audent, a perspicacibus spectatoribus deridentur nec non contemnuntur.

Cum animum constitui appellere ad disquirendum, quatenus exoticarum linguarum usus admittendus sit, ea, quae sequuntur, adjicienda esse existimo, quo clarius intelligatur, qua in re tota versetur disputatio. Ex iis, quae jam praefati sumus, satis apparet, me et velle et optare, ut linguae vernaculae prae quavis alia prior locus ab omnibus concedatur, qui, in summo rerum humanarum fastigio collocati, rempublicam administrant. In ore est omnium proverbium: Regis ad exemplum totus componitur orbis. Plerumque enim mores componuntur ad principum mentem. Si qui summae rerum praesunt, lingua vernacula in vita communi uti debent, ut alii, qui aliquam speciem eruditionis prae se ferunt, ad imitationem se induci patiantur. Neque vero is sum, qui juvenibus, aut litteris artibusque operam navaturis, aut mercaturam facturis, exprobrem, quod, necessitate coacti, unam alteramve linguarum recentiorum penitius cognoscere studeant. Litterarum studiosi enim aditu ad varios eruditionis ac sapientiae fontes interclusi forent, si hujus rei fere nulla haberetur ratio: primum, quod pleraeque linguae exoticae ex uno eodemque fonte promanarunt; deinde, quod in auctoribus, quos v. c. Gallia, Anglia, Italia etc. tulit, multa ad animum formandum,

dum, ad ingenium acuendum, aptissima reperiuntur; tum, quod ii, qui, patriis rebus contenti, externa neglectui habent, nunquam recte animum ad historiam aevi nostri intelligendam applicare poterunt; postremo, quod per se patet, et ipsos juvenes, quos natura alma summi ingenii viribus eximiaeque indolis dotibus auxit, contemto neglectoque linguarum recentiorum studio, mentem variis non implent disciplinis ad nomen in republica erudita adipiscendum multum facientibus. Mercator, ne plane ad externa negotia peragenda inhabilis sit, plerumque linguam francicam perdiscit, ut, cum exteris populis communicans, in mercatura exercenda adjuvetur. Sed jam opportunum tempus adest linguam vernaculam ita perpoliendi, ut in civitate erudita summis laudibus exornemur. Multi sunt, qui antiquitatis monumenta a posteris nunquam superatum iri somnient, non cogitantes, Deum sapientissimum id agere, ut genus humanum pro copia ac magnitudine virium aeternam quietem pati non possit, sed potius subsequente tempore magna moliatur, nec, ubi semel ad majora se erexerit, ab omni animi cultu deficiat.

Recte igitur rebus patriis consulunt, qui contendunt, ut inter ea, quae juventus scholastica edoceri solet, lingua germanica primum locum obtineat. Nec est, quod nostrates evocemus, ut id sibi excolendum sumant, quod ipsis satis praesidii ad patriae gloriam et dignitatem tuendam praestat; quocunque enim oculos conjeceris, animaduertes, linguam germanicam in pergulis nostris diligentissima cura exerceri, ex quo intelligi coeptum est, ita reipublicae stabiliendae optime consuli posse.

Equidem dixerim, neminem quemquam, cujus animo inhaeret opinio, non tam multum interesse, utrum juventus scholastica ad linguae vernaculae studium majori cura traducatur nec ne? rem ita perspectam habere, ut ei facile adsentias. Ejusmodi vanas auctoritates ac praecepta in studiorum ratione nobis subjici nunquam patiemur, id consecuturi, ut alumni, disciplinae nostrae traditi, e scholis inde reportent, quod ipsis ad vitae probae scelerisque purae olim iter ingrediendum sit utilissimum. Tantum igitur abest, ut juventutem studiosam ab hac

via

via arceamus, ut officio nostro vel optime defungi nobis persuadeamus, si id effecerimus, ut patriae gloriam ac dignitatem tueamur.

His praemissis, jam ad propositum, circa quod tota haec disputatio versatur, progrediamur. Quod in fronte hujus qualiscunque meae scriptionis legitur, nullius animum faciet dubium, me stare a partibus eorum, qui volunt, neminem unquam linguae latinae genuinam et nativam indolem penitius cognoscere vel voluptatem ac utilitatem ex auctorum latinorum lectione capere posse, nisi ars latine scribendi accedat. Non desunt, qui hanc artem supervacaneam, pestiferam et plane irritam dictitent. Quam opinionem falsam inprimis invaluisse scimus, ex quo bibliothecae accuratius lustrari et monumenta litteraria a majoribus nostris relicta in lucem protrahi coepta sunt. Non intelligo, quatenus ars latine scribendi impediat, quo minus haec monumenta pio animo admiremur, atque eo intueamur consilio, ut ex hoc fonte nobis affluat quaedam sciendi cupido, quantopere majores nostri litteras artesque excoluerint. Utrum illud carmen, quod nomine Niebelungenlied (1) circumfertur, discipulis ante omnia ad intuendum atque imitandum proponamus nec ne? non diu quaerendum est, si orationis hodiernae elegantiam, suavitatem, bonitatem mente complectaris. Quod vero secum non reputant, qui orationi hodiernae non amplius inesse illam vim et gravitatem credunt, qua majores nostros gavisos esse gloriantur. Hinc illa temeritas complurium nostratium, qui orationi suae rariora verba et minus usitata admiscent, ut priscis Germanis animi probitate, sinceritate, castitate et honestate esse pares videantur. Hoc vero plus officere quam prodesse, mihi quidem satis liquet. Artem latine scribendi hoc opprobrio per se esse liberam, mox patebit, ubi huic disceptationi aliquam lucem affudero.

Jam

(1) Utrum hoc carmen in scholis nostris explicandum sit nec ne? virorum intelligentium judicia et sententiae variant. Re etiam atque etiam perpensa equidem dubitaverim, an ex ejus lectione in juventutem studiosam ea redundet utilitas, ut praecipuo patriae amore teneatur.

Jam triginta abbinc annis et quod excurrit altercatio inter Fridericum Gedikium (2) et quendam Stuvium de eo orta est: utrum linguae latinae usus tollendus sit nec ne? Prior eo lubentius refutandi adversarium in se suscepit provinciam, quo peritior et ipse erat latinarum disciplinarum. Gedikii quod fuerit lumen, quae animi sagacitas, qui venustatis sensus, non est, quod moneam. In tanto belli apparatu, quo vir eximius erat instructus, de bono non desperabat exitu, persuasum habens, linguae latinae usu sublato litteris excolendis parum consuli. Nec tamen hoc mihi sumo, non illa humili et abjecta opinione imbutus, hunc praecursorem, cum eruditionis copia, tum ingenii acumine insignem rei, de qua nunc agitur, non satis affudisse luminis, ut, inquam, adversarios, quorum complures non ignoramus cum ex litterarum farragine gemmas quasi indagandi expiscandique sagacitate valere, tum a natura ita factos esse, qui suum non vulgi judicium sequantur, faciliori negotio refellam, quam Gedikius V. Cl. fecerit. Attamen vero fretus auctoritate eorum, qui Helladem ac Latium norunt, non dubitavi ultro me offerre telis, quae novissimis diebus in me mitti coepta sunt.

Sed ad singula argumenta transeamus, ut ad liquidum exploretur, utrum linguae latinae usus tollendus an commendandus sit.

I.

(2) Gesammlete Schulschriften. Erster Band. 1789. Vertheidigung des Lateinschreibens und der Schulübungen darin. p. 289.

I.

Lingua latina est vinculum, quo respublica erudita continetur.

Haud desunt viri, penes quos graecarum litterarum regnum videatur esse, quique id efficere conentur, ut mater lingua graeca filiam latinam tandem expellat regno, quod haec jam per tot secula egit. Nec temere sibi id vindicare videntur, qui probant, latinam linguam graecae sic nexam esse, ut altera ab altera nec distrahi nec divelli possit. Qua in re Varro et Cicero mirum in modum conspirant, dicentes, multa ex graeca lingua in suam venisse. Suadet enim Cicero filio Cratippum philosophum auditum profecto Athenas, ut litterarum graecarum peritissimus evadat (3). Nec sileri debet, Hemsterhusium, de sententia Ruhnkenii perfectissimum Criticum (4), planissime demonstrasse, linguam latinam ab aeolica fluxisse (5). Huc accedit, quod latini scriptores, maxime poetae (6), graecam for-

(3) Off. I, 1. „Quamquam te, Marce fili, annum jam audientem Cratippum, idque Athenis, abundare oportet praeceptis institutisque philosophiae, propter summam et doctoris auctoritatem, et urbis; quorum alter te scientia augere potest, altera exemplis; *tamen, ut ipse ad meam utilitatem semper cum Graecis Latina conjunxi, neque id in Philosophia solum, sed etiam in dicendi exercitatione feci: idem tibi censeo faciundum, ut par sis in utriusque orationis facultate.*“

(4) Vitae Tiberii Hemsterhusii et Davidis Ruhnkenii. Lipsiae MDCCCI. Ruhnkenius, auctor Elogii T. Hemsterhusii, tandem in haec verba erumpit: „Tali ingenio, doctrina et sapientia fuit Hemsterhusius, cujus similem Criticum nos haud vidimus; posteri ut videant, bonarum litterarum causa vehementer optamus.“

(5) Hezelius V. Cl. ejusmodi latebrarum sagacissimus explorator, in consilio cautus et consideratus, hanc rem pertractandam sibi sumsit. Intelligenzblatt der jenaischen Allgemeinen Litteratur-Zeitung. Nr. 48. 1818.

(6) Virgilius, Horatius etc.

formam iisdem prope verbis expresserunt, ea interdum intercedente similitudine, ut sensum scriptoris latini assequi vix queas, nisi ad fontem, ex quo ille hauserit, propius accedas. Qui se in Latinis intelligendis a Graecis non ita adjuvari sentit, ut, quatenus Romani Graecos imitando expresserint, vel in transitu respexerint, nec recte intelligat, nec suspicetur, Antiquitatis eruditae monumenta parum cognita habet.

Optime igitur nostris temporibus instituta est ratio, qua lingua graeca apud nos omnis liberalis institutionis fundamentum est et principium, ut juventus erudita ex scriptoribus graecis tanquam fontibus rivulos ducat, inde litterarum campum quasi irriget, Musarumque graecarum favorem atque amicitiam sibi conciliet (7). Schneiderus aliique, qui de civitate litterata bene promeruerunt, id inprimis efficiendum satis probarunt, ut juventus studiosa orationis graecae quandam facultatem teneat. Qua ratione usurpanda, ad interiorem disciplinarum graecarum cognitionem maxime faciente, veterum scriptorum graecorum nativam venustatem nec non elegantiam cognoscendi, eorum sensus obscuros faciliori negotio aperiundi, difficiliorumque locorum tenebras dispellendi facultas datur. Qui igitur suae laudi ac dignitati optime consultum cupiverit, bene meminerit, se nunquam ad interiores Graeciae recessus penetraturum esse, nisi orationis graecae structuram atque indolem ita perspectam habet, ut saltem nonnullas loquendi formulas graecas ad Grammaticae normam et regulam connectere queat. Licet linguae graecae studium civitati eruditae sit utilissimum, tamen haud temere quaeritur: num lingua latina regno suo expellatur, an illud in posterum agere pergat.

Pro-

---

(7) Wyttenbach in Vita D. Ruhnkenii p. 81. „Ita enim et ipse (Ruhnkenius) judicabat, et Hemsterhusium judicantem audiebat, praeposterum esse puerilis institutionis ordinem, quo primum Latinis, deinde Graecis, imbuimur Litteris; igitur eos qui semel hunc errorem errassent, et tamen ad litterarum principatum contenderent, *denuo veluti pueros debere fieri*, puerilis institutionis aliam viam ingredi, a Graecis ad Latinas Litteras progredi.“

Profecto non est, quod nobis cum iis sit contentio, qui de linguae graecae venustate, elegantia, concinnitate, gratia, lepore et ubertate ad ravim usque declamant, id agentes, ut mater magis magisque in nostrum favorem veniat, filia autem in dies a nobis minoris existimetur. Ubi enim ad utriusque indolem, i. e. ad verborum et vocum ubertatem, ad orationis constructionem et compositionem, ad pronunciationis suavitatem et jucunditatem, quid? quod ad facilitatem, qua utraque addisci potest, respexeris, graecae linguae palmam deferendam esse non addubitabis. Res igitur ad alias revocanda est causas, cur lingua graeca in locum latinae substitui non debeat, nisi linguarum recentiorum pertractationem difficiliorem fieri velis. Plures earum latinae debere suas origines, non est, quod Lectores intelligentes diffuse edoceam, at iterum dicatur, quod supra jam commemoravi, Romanos, ex quo dominandi libidine inflammati paene toti terrarum orbi bellum intulissent, id ante omnia egisse, ut victi populi a lingua vernacula desuescerent et ipsorum orationis facultatem tenerent. Sic non mirabere, qui factum sit, ut in Occidente lingua latina unicum fere fuerit vinculum, quo civitas erudita per tot secula contineretur. Cum ob alias causas, tum ob auctoritatem, quam lingua latina apud multos populos obtinuit, sperari potest, fore, ut regnum suum in posterum quoque agat. Itali enim, Galli, Hispani, Angli etc. quoties os aperiunt, toties priscorum Romanorum injiciunt mentionem, quod nimirum linguae, quibus hodie utuntur, huic populo debent suas origines; unde in iis haud perpaucae dictiones ac voces reperiuntur, quae majorum orationem plus minusve redoleant.

Novam vitam ordiri eos oporteret tanquam denuo natos, si aliam studiorum viam ingressi, linguae graecae palma delata, latinam regno expellerent. Quod vero semel hominis ingenio ac indoli quasi insitum et adspersum pertinaciter adhaeret, plerumque nulla quamvis diligentissima cura nec exsecari nec elui potest. Quam ob rem suspicari licet, linguam graecam, si in Occidente novum imperium fundare vellet, eandem sortem expertum iri, quam latinam expertam esse historia tradit. Imperator Justinianus id quidem effecerat, ut se vivo illa legum collectio, quae vulgo Corpus Juris vocatur, in imperio Romano orientali aliquam assequeretur auctoritatem; quod vero huic imperio saluberrimum fore judicaverat, nil utilitatis attulit, praesertim quum post ipsius mortem illud Corpus Juris paulatim

 ex

ex judiciis recederet atque communi in usu esse desineret (8). Jam intelligent, qui unquam de republica erudita bene senserint, nec est, quod praeterea quidquam aliud exspectent, prudentiam in consilio deesse, si qui nobis suadere voluerint, ut lingua latina non amplius utamur, sed graecae palmam deferamus.

Imperio Romano occidentali post barbarorum incursiones sensim labente atque externae dominationi succedente lingua Romana, cujus puritatem ac elegantiam post Jsidorum Hispalensem subito paene intermortuam esse satis constat, antiquo colore ita abstergi coepta est, ut ea cum populi Romani ad spem se libertatis non amplius erigentis interitu genuina et nativa indole exueretur. Qua re factum est, ut lingua Romana inter quotidianas barbarorum vexationes acerbissimas non eadem maneret, sed sibi novum ingenium indueret. Hinc orta est illa lingua mixta, cujus plures aliae recentiores sunt filiae (9). Nec vero hujus loci est,

(8) B. J. *Docen* über die Ursachen der Fortdauer der lat. Sprache seit dem Untergange des abendländischen Römer-Reichs. München, 1815. p. 12. „Als Reichs- und Gerichtssprache blieb die Lateinsiche auch *dort* noch lange bei ihrem Herrscherrechte, wie denn seit 533 unter Justinian hier jenes Gesammtwerk der Römischen Rechte zu Stande kam, welches unter dem viel berühmten Namen des Corpus Juris noch für künftige Zeiten und Völker durch Studium und praktische Anwendung von der höchsten Wichtigkeit werden sollte. Aber nur noch ein Jahrhundert später, und die an den Bosporus verpflanzte römische Sprache hat völlig schon der griechischen in jenen Gegenden wieder weichen müssen.“

(9) Ibidem p. 17. „Gregor dem Grofsen reihen wir noch den Isidorus Erzbischof von Sevilla an, der seiner Zeit (636) sich noch am meisten mit alterthümlicher Literatur beschäftigte. Seine Origines ein Mischlingswerk von profaner und christlicher Erudition, bekunden beides, die äufserst dürftige wissenschaftliche Cultur, so wie den grofsen Ungeschmack seines Zeitalters. Hier finden wir, im Gegensatz zu der noch unverderbten lingua Romana zuerst die Erwähnung einer lingua mixta, in der nach so weiter Ausdehnung des Reichs die Reinheit der römischen Sprache durch Barbarismen und Solöcismen ganz entstellt worden sey. Mit Isidor schliefsen wir daher dieses Gemälde der alten lat. Sprache und Literatur; jene verlor damals mit jedem Jahrzehend ihre Selbstständigkeit, indem sie theils innerlich in allen Formen sich auflöste, theils eine ächte mixo—barbaros, mit den Mundarten der germanischen Völker sich zu einem aufangs unförmlichen, und für die Schrift unfähigen Chaos amalgamirte.“

est, hanc rem ad vivum resecare, sed potius leviter tangere, praesertim quum nuperrime Wachsmuth V. Cl. in eam satis inquisiverit (10). Illo vinculo igitur necessitatis intercedente Itali, Galli, Hispani, Angli etc. in lingua latina addiscenda ita adjuvantur, ut nemini rationem eorum, qui hac in re aliter praecipiunt, probatum iri per se appareat. Quum enim lingua latina per tot secula in Occidente dominata est, nec non reipublicae litteratae tot ac tanta commoda paravit, vix ulla alia cum hac domina de imperio decertare sustinebit, timore perculsa, ne derideatur, saltem ingratissima esse videatur. Quis est, quin nesciat, illam de genere humano optime promeruisse?

Etenim latinae linguae usu sublato, ut mea quidem opinio me fert, vel rebus patriis contentus sis necesse est, vel plures linguas exoticas perdiscas. Utrumque autem est difficillimum; alterum, quod ita arctis te circumscribas terminis, nec cognitum habeas, quid alibi ad litteras adjuvandas excogitetur; alterum, quod ita via ad interiores eruditionis recessus muniri nequeat. Neutrum probatum ac utile esse illi videbitur, qui, quam sordidum illud sit et perniciosum, unquam secum reputarit. Quae cum ita sint, nescio annon nobismetipsis aditum ad litteras obstruamus, nostrisque rebus male prospiciamus. Quod mihi quidem satis liquet, persuasissimum habenti, civitatem eruditam ita se spoliatam et orbatam visuram esse vinculo, quo litterarum studiosi inter se conjuncti alii cum aliis communicent, et adjumenta ad optimas artes penitius cognoscendas in promtu habeant. Cui magno damno resarciendo licet nulla linguarum recentiorum satis apta videatur, equidem valde affirmaverim, eum, qui in virorum doctorum numero

(10) Athenäum. Humanistische Zeitschrift von Friedrich Günther und D. Wilhelm Wachsmuth. Ersten Bandes zweites Heft. p. 271. Von der Lingua rustica, latina und romana.

mero esse velit, earum non plane rudem esse debere, dummodo unam alteramve perdidicerit.

Nec tamen multi sunt alii nostrum, qui et auctoritate graves, et eruditione insignes, linguam vernaculam in locum latinae constitui jubeant. Sed hoc idem in nostris contingere video, quod nuper in Francogallis. Germani quidem hodie cum haud vulgari doctrina, tum ingenii acumine ita inclaruerunt, ut vix ausim dicere, an in republica erudita habeant pares, praesertim quum recte nobis videamur cum Ovidio quodammodo loqui: quot coelum stellas, tot habet Germania doctos; nec vero ignoro, et ipsos exteros populos hanc ob causam maximam nostri admirationem concepisse, nescio tamen, an fortuna se nobis unquam ita emancipatura sit, ut lingua germanica tam late pateat, quam ad diem latina, quae ubique idem hospitium ac deverticulum invenit.

Germani quidem tanta vacandi litteris, earumque scientia inclarescendi cupiditate flagrant, ut ad sua commoda referant quidquid cum ad animum formandum, tum ad auctoritatem in civitate litterata assequendam cognoverint optime esse facturum, attamen mihi praeclare intelligere videor, exteros, quorum plures litterarum studiis lubentissimo obsequi animo satis scimus, nunquam eo adductum iri, ut linguae germanicae primas deferant, idque tribuant, quod latina ad diem tenuit. Nimium quantum rebus nostris confidunt, qui hanc spem concipiunt, fore, ut lingua germanica in civitate litterata principatum teneat (11).

Me non monente Lectores benevoli meminerint, exteros in litteris excolendis nec ponere nostram industriam, nec rebus nostris ita delectari, ut lubenti animo

nos

(11) *Fridericus Jarik*, quem ars latine scribendi summum habet osorem ita scribit in allgemeinen Anzeiger der Deutschen. Nr. 316. 1817. p. 3569. „Die deutsche Sprache ist zur Königin geboren. — Schickt also eure Missionäre und Heidenbekehrer aus, die die Irokesen und Pescherä's, und die Völker aller Welt Ende in deutscher Zunge unterrichten. Die schönsten Siege sind die geistigen. —— Zwingt also auf diese Art die Ausländer, unsere Sprache zu erlernen. Wer euch für einen Schwärmer halten will, der meindeutscht (?).“

nos sibi in exemplum proponant, licet Germani hodie quidem perite, scienter et docte, tum presse, ornate et pereleganter scribant, illam spem esse abjiciendam, non est, quod diffuse probemus. Fac linguam latinam apud exteros in usu esse desinere, eosque sibi cavere, ne externis se moribus oblinant, civitas erudita, eadem hactenus amplissima, dissensione et altercatione virorum doctorum concussa et circumventa, in maximam ruet perniciem.

II.

Ars latine scribendi id habet utilitatis, ut ea, quae latino sermone conscripseris, nunquam ullam subeant mutationem.

Quam multa forent, quae nec intelligeres, nec in usum tuum convertere posses, nisi sermone latino memoriae prodita essent. Hic inprimis pertinent, quae tempore medii aevi litteris consignata sunt. Nec vero ignoro, in hujus aetatis scriptoribus Ciceronis mentem non spirare, eosque suae orationi latinae voces mere barbaras, raucas atque inauditas admiscuisse, ita quidem, ut qui orationis Ciceronianae suavitate, elegantia et concinnitate delinitus et captus sis, istorum scriptorum barbariem, duritiem et asperitatem vix ferre possis. Hac in re tibi non restiterim. Dic, quaeso, num Historiam medii aevi tam cognitam haberes, nisi illius aetatis scriptores lingua latina uti maluissent. Hac re quidem factum est, ut linguae ex latina recens nascentes multo serius ad aliquam suavitatem et concinnitatem accederent. Tametsi hoc extra omnem dubitationem est positum, quaeri potest, num ita melius rectiusque civitati eruditae consultum fuisset, si nemo amplius latinae orationis facultatem tenuisset. Quod ne accideret, Deus O. M. voluit, ut saltem verbi divini magistri hac facultate gauderent. Sacra enim nonnisi sermone latino celebrabantur. Si qui igitur ejusmodi munere fungi vellent, iis saltem studiis tenebantur, quibus se sacris celebrandis aptos redderent.

Sic enim tantum fieri potuit, ut monachi, orationis latinae non plane rudes et inscii, ad veteres auctores transcribendos quadam intelligentia instructi accederent, et antiquitatis cognoscendae amore interdum tenerentur. Facile suspicari licet, illud munus ad transcribentium eruditionem augendam parum contulisse, ita ut haberent, unde testarentur, se ex veteribus scriptoribus ingenii praestantia, judicii subtilitate, rerumque divinarum et humanarum interpretatione excellentibus aliquam percepisse utilitatem. In litteris enim tractandis nec quodam limatulo et polito utebantur judicio, nec ita se totos in eas abdebant, ut antiquitatem recte cognoscerent. Nec tamen dubitari potest, quin, si isti monachi omnis orationis

tionis

tionis latinae rudes et inscii fuissent, respublica erudita irreparabilem jacturam factura fuerit, optimis quibusque litterarum latinarum monumentis temporis robigine laesis, nec unquam transcribi coeptis. Quod vero obliuisci videntur, qui, nulla sui ipsius commodi ratione ducta, latine scribendi exercitationem hodie parum utilem ac necessariam judicant. Qui si cupiant esse rempublicam litteratam, jam haec secum reputent necesse est.

Historiam medii aevi nobis parum cognitam fore, nisi istius aetatis scriptores eam magna ex parte ore latino memoriae prodidissent, supra commemoratum est. Quotus autem quisque est, qui majorum res gestas cognoscere non gestiat? Atque haec una vox omnium est. Nec est, quod moneam, nobis nil tristius, nil damnosius accidere potuisse, si nulla Historiae nostrae monumenta extarent. Ita enim ignoraremus, quomodo majores nostri cum rempublicam habuerint, tum studia exercuerint. Quod sine dubio nobis accidisset, si tempore medii aevi orationis latinae facultas plane exaruisset, nec monachi se ad ejusmodi exercitationes retulissent. Quum enim eos ob sacra rite facienda latinam linguam nosse oporteret, eo facilius ad veteres auctores transcribendos impelli poterant, ut inde paullo peritiores evaderent. Itaque recte dixeris, generi humano nil tristius, nil damnosius accidere potuisse, nisi ita veterum populorum monumenta ad nos pervenissent.

Sed jam fert animus Lectoribus benevolis probare sententiam, eum, qui non solum a contemporaneis, verum etiam a posteris et legi et recte intelligi velit, interiore linguae latinae cognitione supersedere non posse.

Nemo est, quin nesciat, multos existere, qui a cupiditate quidquid speciem novi prae se ferat, arripiendi, et a consueto loquendi scribendique more recedendi non alieni, voces hucusque inauditas auribus eruditorum nedum profani vulgi molestas linguae vernaculae intrudendas nec non adspergendas esse putent. Linguae hodiernae sicuti hodie omnia quamquam a prioribus religiosissime servata et retenta priori forma exuuntur, saepissime quidem post pauca lustra, ne dicam secula, maximam subierunt mutationem. Quae cum ita sint, equidem valde suaserim, ut viri docti utilitatis communis causa, quam inde respublica erudita capiet, quid-

quidquid unquam ad litteras excolendas excogitarint et ruminati sint, sermone nullam mutationem subeunte consignent. Haec qualiscunque mea disputatio multo clarior evadet, ubi exposuero atque ostendero, varii argumenti esse res, quarum aliae sermonem latinum non prorsus respuant, sed linguam vernaculam de multis causis magis admittant, aliae latino ori accommodatissimae sint.

Plura litterarum sunt genera, quae, quum earum indolem et finem recte probeque consideraveris, sermonem latinum, ne dicam respuere, at vero eo non egere videantur. In hunc censum veniunt ea, quae vitae communi inserviunt et inde *disciplinae practicae* dicuntur. Huc facillime quidem retuleris disciplinas maximam partem populares, et communi intelligentiae patentes v. c. Oeconomiam politicam s. Camerales, quas vocant, disciplinas, latiori sensu sumtis nominibus. Felicitatem generis humani promoturus causam suam male cognosceret, et rempublicam male tueretur, si de hisce rebus scripturus v. c. de terrae proventibus, pecudum generibus, instrumentorum ad agriculturam pertinentium usu, porro de artibus technologicis s. mechanicis ad reipublicae usum recte convertendis, de mercaturae dirigendae disciplina etc. si ille, inquam, lingua latina uti vellet. Quod igitur eo spectat, ut communi intelligentiae magis pateat, noli nisi lingua vernacula lectoribus tuis proponere. Cogitanti tibi, quomodo tota haec res ad liquidum perducatur, Gedikius (12) facile suam probabit rationem, et ipsas litteras elegantiores, satis habentes nectaris, quo nos inescent, eo vernacule esse scribendas con-

(12) L. c. p. 297. „Bei dem allen wär' es die lächerlichste Thorheit von der Welt, zu verlangen, daſs alle Schriften lat. geschrieben werden sollten. Man sollte einen Unterschied machen, zwischen *abhandelnden* oder räsonnirenden, und zwischen *darstellenden* Schriften. Die letzten, zu welchen ich alle Werke des Geschmacks rechne, konnten und müſsten in der Landessprache geschrieben werden. Zu ihnen füg' ich aus der ersten Klasse noch die eigentlich gemeinnützigen Schriften hinzu, die mehr den Menschen oder die Bürger als den Gelehrten interessiren, und die mehr für die gegenwärtige Zeit, als zugleich für die Nachwelt dienen sollen. Aber alle übrigen Schriften, aus denen man dereinst auf den Vollkommenheitsgrad der eigentlichen Wissenschaften bei uns schlieſsen sollte, müſsten wenigstens *gröſstentheils* in der angenommenen Allgemeinsprache geschrieben werden."

silio, ne, quam dicunt, nostra careamus litteratura. Quod facile accidere potest, praesertim quum quidquid lingua vernacula proposueris in hominum animos descendat. Quid? quod artes vocales s. oratoriae (die redenden Künste) quae ad eloquentiam sacram pertinent, duas habent partes, alteram *theoreticam*, alteram *practicam*, quarum haec nonnisi lingua vernacula exerceri potest. Artibus vocalibus adde *mimicas* (die Geberdenkünste), quarum altera pars est ars *scenica*. Ex quo Germani in artibus scenicis pertractandis multam operam posuerunt, haud pauci inter nos reperiuntur, qui, ipsorum eximia eruditione atque intelligentia spectata, dramatum conficiendorum arte inclaruerint gloriamque suam fundarint. Multi, iique praeclarissimi viri v. c. Schillerus, Goethius, Iflandius et alii, animi sagacitate ingeniique felicitate praediti, non vivi solum tot ac tantos nacti sunt patronos, verum etiam ad coelites evocati eosdem post secula nanciscentur. In dies suorum meritorum in rempublicam fieri accessiones vident, qui omne suum consilium, officium, operam, diligentiam, laborem ad usum communem conferunt, id consecuturi, ut abunde rebus suis satisfaciant. Sed tamen de hoc mihi parum certum est, annon ii in fraudem et errorem se deductos videant, qui hanc ob causam linguae latinae usum tollendum esse existimant.

Sunt aliae litterarum partes, quae sibi proprium et peculiare ingenium deposcunt et in iis cernuntur rebus, quae nonnisi civitatis eruditae rationem habent. Huc spectant eae disciplinae, quae ab iis inprimis excoli solent, in quibus ingenium animique felicitas quam plurimum valet. Perfacile homines, qui, provincia v. c. Criticorum in se suscepta, nonnisi vernacule scripserunt, cum libris suis occidere patimur. Vix fando nossemus multos, eosque praestantissimos viros, qui ingenii acumine praediti in veteribus scriptoribus explicandis, emendandis et ad genuinam formam revocandis summum studium consumserunt, quique eo magis admirandi sunt, quod nihil tam abditum esset, tam nihil retrusum, quod eorum acumen fefellisset. Sin autem illi Critici, quos Italia, Gallia, Anglia, Hollandia, Germania etc. tulit multis abhinc annis vernacule scripsissent, non multi hodie essent, qui eos consultum irent, non ignorantes, sibi labores Herculis exantlandos esse, si ejusmodi fontes adire ferret animus. Neque ego superiora repetam, id mihi dicere liceat, neminem Criticorum, quos nominare infinitum esset, ad communem civitatis litteratae utilitatem quidquam contulisse, nisi id latinae linguae usu factum

esset,

esset. Frustra in veteribus scriptoribus interpretandis habitassent, frustra latissimum litterarum campum percurrissent, frustra praestanti atque inusitata instructi fuissent eruditione, nisi nobis liceret quidquid habeant consilii, in usum nostrum convertere. Qui enim non intelligitur, contemtus et neglectus jacet, saltem in magna admiratione non est et laudibus caret.

Ex quo inter populos recentiores litterae renascebantur, id quidem potissimum egerunt, ut non solum altos et magnificos veterum scriptorum de rebus humanis et divinis sensus assequerentur, sed verbo tenus imitarentur, in haec venustatis atque elegantiae exemplaria quotidie inspicientes, eorumque reconditas exquisitasque sententias ita tritas inde habentes et notatas, ut facile sibi persuaderent, linguam latinam neque negligendam neque inutilem esse censendam.

Haec res me admonet, ut refellam criminationes eorum, qui contendunt, humaniores litteras, quas vocant, istis temporibus nil aliud quam verborum disciplinam fuisse. Fac haec ita se habuisse, inde maxima utilitas in posteritatem redundavit, quod ita veteres scriptores sordibus, quibus hinc illinc conspurcati essent, purgati ad nos pervenerunt. Mehercule lippis et tonsoribus notum est, ex quo litteris bonis dignitas pristina restitui coepta esset, eos, qui antiquitatem eruditam nunquam remisso studio cognoscere conarentur, ad ravim usque declamasse, Graecos et Romanos jam ad intimos sapientiae humanae recessus penetrasse, deque rebus divinis et humanis optime praecepisse, multaque nobis non tam ad intuendum quam ad imitandum reliquisse. Ne putent igitur, quibuscunque hac in re non recte praecipere videar, me id velle, ut ii, quibuscum de linguae latinae usu non tollendo sed commendando nobis est contentio, derisui habeantur, sed sibi persuadeant, me meum erga ipsos animum simplicem et amicum aperuisse.

Ne vero longius quam pro nostro instituto digrediamur, ad propositum redeamus. Quo facilius veteres scriptores juvenum studiosorum intelligentiae paterent, jam multis abhinc annis apud nos is obtinuit mos, ut, quidquid veterum auctorum editores ad litteras excolendas facturum esse crederent, vernacule scriberent et in publicum emitterent. Quod inprimis in annotationibus, quas vocant, factum esse satis

satis constat (13). An vero res ita optime expediatur, valde equidem dubitaverim. Nam qui ad interiores eruditionis et sapientiae recessus penetrarunt, ab illarum annotationum lectione haud indubitanter iidem abeunt, qui veniunt, uberrimam ridendi materiem invenientes, praesertim quum nihil in iis deprehendas, quod ad criticam severitatem acute salseque exactum sit. Hinc non video, cur dubites, idem quod majoribus accidit et posteris posse accidere. Heynius V. Cl., ut ex multis unum nominem, qui non solum apud Germanos, verum etiam apud exteros in admiratione est, auctores notis latine scriptis instruxit. Utinam aetatis nostrae felicitati gratulari possimus de multitudine eorum, qui se in errorem adduci non patiuntur, artem latine scribendi nil habere utilitatis ac commodi. Spes autem hujus caliginis ab animo dispellendae pertenuis ubique ostenditur. Profecto est, quod miremur, et plures nostratium, quos linguae latinae origines satis cognitas habere constat, in edendis veteribus auctoribus non eandem secutos esse rationem, quam ab Heynio multo ante initam non satis praedicari posse exteri identidem affirmabant. Licet plures iique doctissimi viri, tenebras auctoribus classicis hinc illinc per tot secula offusas felicissime discusserint, multa alia et intelligentibus parum perspicua ad sanam rationem revocarint, forsan, nisi omnia me fallunt, suae gloriae ac communi civitatis litteratae commodo melius consuluissent, si eruditionis opes, quas in ipsorum editionibus prolatas esse videmus, non solum

cum

(13) V. Cl. *Heindorfius*, cujus praematura mors civitati litteratae maximum attulit detrimentum, in Praefatione ad Horatii Satyras, quas seorsim edidit, ita scribit: „daſs ich diese Anmerkungen deutsch geschrieben habe, dazu hat mich nicht der Vorgang eines der ersten und besten Männer Deutschlands, unsers Voſs, bestimmt — sondern theils eigne Erfahruug, wie weit anziehender, lebendiger und eindringender für Jünglinge nun einmal der Vortrag in der Muttersprache ist. — Uebrigens befürchte ich nicht, von Verständigen die Besorgniſs zu hören, daſs durch dergleichen in der Muttersprache geschriebene Anmerkungen der Eifer der Jugend für die Latinität, der in unsern Tagen nicht mehr so lebhaft ist und seyn kann, als zur Zeit unserer Väter, noch mehr erkalten werde. — Was ist daher mehr geeignet, allen Sinn für reine und ächte Latinität abzustumpfen, als ein Latein, wie wir es seit der Herausgabe des Heyneschen Virgil in den sogenannten fortlaufenden Commentaren zu finden gewohnt sind?“

cum popularibus verum etiam cum exteris communicassent. Ne quis vero credat, me velle reprehendere illos viros, cum mea reprehensione multo majores, tum meis laudibus facillime carentes, quorumque haud perpauci jam dudum omnibus expresserunt confessionem hanc, ut dicerent, illos esse Germaniae decus atque ornamentum; illud tamen confitebuntur, primum unumquemque exterorum sermonis germanici peritum non esse, deinde hujuscemodi libros in posterum non amplius lectum et relectum iri.

Multa quidem in utrumque mihi in mentem veniunt, exploranti, quid de linguae latinae usu rite statuendum sit, magnum pondus eo accedit ad omnem tollendam dubitationem, quod in hodiernis linguis nil stabile est et immutabile. Quae hodie enim summis laudibus extollimus, cras nulla attentione dignamur; quique hodie scribendi loquendique leges ferunt, cras obtrectatores et reprehensores nanciscuntur (14).

III.

(14) *Gedikium* in Programmate aliquoties jam laudato idem statuere, ex ipsius verbis apparet, quae afferre liceat: „Die Sprache der Gelehrten aller Nationen Europa's kann und darf keine lebende Sprache seyn. Höchstens könnte sie es immer nur auf eine Zeitlang, denn so lange eine Sprache lebende und tönende Volkssprache ist, ist sie einem unaufhörlichen Kreislauf von Veränderungen unterworfen, die sie zur dauernden Sprache der Gelehrsamkeit unfähig, wenigstens unbequem machen. Nur eine todte Sprache schickt sich zur allgemeinen Gelehrtensprache, weil nur sie ihren ein für allemal festgesetzten Grad der Vollkommenheit hat, und die Zeitunterschiede in ihr nicht mehr so auffallend als bei einer lebenden sind, auch weil sie nicht wie jede lebendeSprache mit jedem Jahrhundert Gestalt und Kleidung verändert. „In eandem sententiam abit *L. Engelstoft*, in cujus Commentatione de pretio Litterarum Romanarum nostra aetate rite aestimando. Hauniae, MDCCCIII. p.42. haec verba le-

III.

Ars latine scribendi munit viam ad interiorem disciplinarum latinarum cognitionem.

Juventutem scholasticam ad ipsos fontes, non ad rivulos inde derivatos esse traducendam, quo melius scriptorum romanorum Veneres ac Lepores imbibat degustetque, extra omnem dubitationem est positum. Alii vero credunt, ex sola illorum lectione, omni latine scribendi exercitatione omissa, satis utilitatis et commodi in litterarum studiosos redundare, idque eo facilius sibi persuadent, quo magis illa falsa, abjecta et humili opinione sunt inducti, interiorem latinarum disciplinarum cognitionem, ab pertinaciori, accuratiori et severiori singulorum verborum significationes eruendi studio profectam, vitae subsidiis nec prospicere nec conferre ad felicitatem humanam juvandam. Omnis institutionis, cum viam ad munus publicum olim suscipiendum satis superque munientis, tum animi cultum quendam gignentis, in eo esse positum contendunt momentum, ut discipuli rerum ma-

gis

guntur:„ In hodiernis linguis nihil fere stabile aut firmum; singulae in annos mutantur; renascuntur quae cecidere, caduntque quae nuper in honore erant; nova succedunt antiquis, velut unda supervenit undam, quique auctores ante pauca decennia scribendi leges ferebant, hos nunc obsolete loqui ajunt, ut fere quid aut quem sequi debeas, non satis scire possis. — Alia est latini sermonis ratio. Hic semel fatis functus, nec ulli mutationi obnoxius *certam immobilemque* praebet scribendi normam, quam tuto sequi possis, nec in delectu dubius, nec veritus, ne Ciceronem, Horatium, Livium, Tacitum, recentior ulla auctoritas honore et imperio decedere jubeat. „*Docenius* l. c. p. 29." Aufserdem geniefst die römische Literatur und Sprache in den allgemeinen Unterrichtsanstalten nicht nur gleiche, sondern, wie es ihrer gröfsern Anwendung auf unsere Lage gemäfs ist, auch durchgängig weit ausgedehntere Rechte, als die griechische; nehme man hiezu noch ihren akademischen, Programmen-, Dissertations-Gebrauch: so ist offenbar, welch grofsen Umkreis unter uns die lat. Sprache beherrscht, obwohl wir uns von ihren vormaligen einzwingenden Banden seit Thomasius längst frei gemacht haben."

gis quam verborum instructi intelligentia ex scholis exeant. Utrum vero rerum cognitio, nisi eam cum verborum intelligentia conjungas, possit cogitari nec ne? jam est, quod paullo accuratius explicemus.

Res quaecunque sunt, verbis continentur. Ut ex vita communi petamus exemplum, idiotae, cujus nomine litterarum artiumque ignarum celebraueris, libellum qualemcunque ab uno alterove philosopho hodierno conscriptum legendum trade, at ille ne verba quidem intelliget, multo minus res libello pertractatas. Eadem semper erit conditio discipulorum, qui in graecis et latinis scriptoribus legendis cum ad singulorum verborum significationem primam, ductam et tralatam, tum ad phrasium variam compositionem et structuram nec attendere jubentur, nec paullo severius adhaerescere ad scriptorum interpretationem, ut formam dicendi animo imprimant.

Quam rationem qui sequuntur, non intelligunt, quomodo res optime expediatur. Utrum tirones, omni interioris eruditionis supellectile destituti, in veterum auctorum mentem et usum se insinuent nec ne? non est, quod quaeramus. Si quis vero objiciat, grammaticam interpretationem in eo cerni, ut ea cum singulorum verborum tum loquendi formularum compositionem et structuram recte doceat, et discipuli regulas et praecepta grammaticae sic dictae mandare jubeantur memoriae: is secum reputet, juventutem studiosam nonnisi id fideli reposituram esse memoria, quod recte intellexerit. Hinc animus adjungatur ad latine scribendum necesse est, quo fit, ut veterum linguarum facilis et expedita cognitio nobis exoriatur.

Quale veterum linguarum nunc significavimus studium, maximi esse aestimandum, negari nequit. Etenim plus damni quam commodi praebent illae, quae dicuntur, versiones eaeque optimae ac comtissimae, ubi eas ad graecarum et latinarum disciplinarum cognitionem satis conferre contenderis (15). Innumeri quidem

(15) Engelstoftius in Commentatione modo laudata p. 27. de versionum pretio hoc statuit: „O falluntur egregie, qui putent, in alium quemlibet ser-

dem v. c. arte musica vel maxime delectantur et demulcentur, nec ejus fundamenta, quibus nititur, cognita habentes nec cognita habere laborantes. Pro suarum rerum conditione interiorem musices cognitionem nec quaerunt, nec oppetunt, sed eam eo exercent consilio, ut animum multis occupationibus, laboribus defatigatum exhilarent, viresque nimium quantum interdum intentas reficiant. Attamen vero voluptatis, cujus effectrix est ars musica, nulla habita ratione, is, qui musices subtiliore atque exquisitiore intelligentia instructus est, de hac arte judicium multo planius et rectius ferre potest. In eundem censum veniunt ii, qui nulla grammaticae rationis subtiliore, exquisitiore, probatiore et exactiore intelligentia instructi in res, earumque regiones continuo invadunt, verborum significationes, loquendi formularum compositionem et constructionem parum curant, haud dissimiles iis, qui in aedificio fabricando, ut exemplo utar, sibi satisfecisse videntur, dummodo externas quasdam partes in conspectu ponant, initium facientes a tecto, de fundamento non cogitantes. Lenissima quaque orta procella, illud aedificium firmo ac stabili carens fundamento corruit aedificatori ignominiam adferens et dedecus.

Quae cum ita sint, bene meminerint, qui in republica erudita nemini esse velint contemtui ac despicatui, scientiam grammaticam esse sedem s. solium imperii, quod litteris artibusque constituitur. Scientiam grammaticam ut discipuli curent, atque ornent, cursumque scholasticum cum bene inchoatum habeant, tum melius expletum, jam animus fert plura alia addere argumenta, prioribus a me commemoratis non minus valentia et firma.

Nemo

sermonem transferri posse omnia operis alicujus ornamenta, omnem ejus gratiam, vim atque pondus. Is vix ultra unam profecerit linguam, qui ignorat, cum proprium singulis esse ingenium, quod alienâ reddi nequeat, tum occultum illum spiritum, per omnem auctoris scriptionem infusum, vel sollertissimam interpretis diligentiam eludere.“ *Ernestius* in Praefatione ad Ciceronis Opera p. LXXX. „Non possunt ista et plurima alia verba Latina (e.g. frui republica etc.) nostro sermone exprimi, et frustra laborant, qui latinos libros, in quibus magna est talium verborum copia, Germanice interpretari suscipiunt.“

Nemo licet summis ingenii dotibus instructus sit, veteres auctores latinos neque recte justeque intelligit ac mente complectitur, neque orationis latinae facultatem tenet, nisi arti latine scribendi nonnihil operae tribuat. Vix equidem reipublicae eruditae spem fecerim, scientiam, quae criticae nomine celebratur, ita in nobis praesidium sibi semper paratum habituram esse, ut sub initium litterarum renascentium ab viris immortalibus Josepho Scaligero, Isaaco Casaubono, Claudio Salmasio aliisque haud minoris nominis tanto excoli eventu coepta est, ut hoc non satis enunciari posse crederetur. Immortales agendas esse his viris gratias, et eo continuo videndum, ut tirones exhortentur, impellantur, excitentur ad criticae scientiae summam operam navandam, mihi satis liquet. In illam igitur curam incumbamus, ut alumni nostri in verborum vero sensu explorando quam diligentissime versentur. Scientia critica enim in genuino veterum scriptorum sensu explicando, in orationis nexu indagando, in locis librariorum fraude vel negligentia corruptis ad sanitatem restituendis cernitur (16). Critica nulla foret, si vetusti codices nec situs et temporis injuria, nec librariorum negligentia ulla laborarent corruptela, ita quidem, ut scriptura tota esset eadem, quae auctoris ex manibus exiisset. Vetustis igitur codicibus saepenumero in diversum abeuntibus, et sen-

sum

---

(16) *Docen* über die Ursachen der Fortdauer der lat. Sprache etc. p. 53. „Möge daher auch in diesem Lande (Bayern), wo allen bildenden Studien keine schützende Pflege versagt ist, die Sprache und Litteratur der alten Römer ferner in unsern gelehrten Anstalten gedeihen und blühen! *Nicht, um Philologen und Wortkritiker zu bilden, was, allgemein genommen, den jugendlichen Geist mehr erkältet als belebt, daher auch nur Einzelner Beruf oder sehr Weniger Liebhaberei werden darf;* sondern damit alle diejenigen, die zur gelehrten Bildung gerufen sind, durch die lebendige Auffassung der trefflichen Werke römischer Autoren frühzeitig ihrem Geiste die unverrückbare Form des Edlen und Schonen, als treues Eigenthum für's ganze Leben, gewinnen mögen.“ Qui Critici partes recte tueri velint, eos ingenio felicissimo instructos ornatosque esse debere, probe scio. Attamen vero mihi satis liquet, illud in scholis nostris nunquam esse negligendum, ut juvenes in veterum scriptorum locis difficilioribus expediendis operam ponant. Quod qui statuunt, non id consequi conantur, ut et ii juvenes, qui haud magna ingenii sagacitate et felicitate praediti sint, Critici evadant, sed animum forment et huic illive negotio peragendo se aptos reddant.

sum dubium nec non aequivocum admittentibus, ad corruptelas sanandas maxime valet conjecturae felicitas. Haec enim in veterum scriptorum locis corruptis ad sanam rationem revocandis optima est adjutrix, et interdum tantum fert auxilii, ut rem acu tetigisse nobis videamur. Proprium hoc statuo esse criticae scientiae, in verborum vim et potestatem quam diligentissime inquirere, et ad suos usus adjungere. Ejus munus est duplex: alterum, ut vetustos codices inter se conferat, ut emendet conjecturae ope, quod de orationis nexu falsum, vitiosum, mendosum, spurium et interpolatum dijudicandum est. Critica scientia, in qua exornanda post Josephum Scaligerum, Isaacum Casaubonum, Claudium Salmasium inprimis Hemsterhusius, Valkenarius, Ruhnkenius aliique viri, mea laude et praeconio multo majores, suam gloriam ponendam esse putabant, inter nos res paene intermortua foret, nisi juventutis scholasticae studium ad artem latine scribendi in posterum adhaeresceret. Quod consilium qui respuunt, eo minus audiendi sunt, quo magis auguramur non adhibita conjectura, nonnullis abhinc annis litteras artesque e patria nostra in alias terras exsulatum abituras esse. Ea enim studia, quae perspiciunt, quid in quaque re verum et sincerum, quid falsum et spurium sit, quid menti humanae consentaneum, ex quo quaeque oriantur et gignantur; ea enim studia, inquam, ad amplificationem nostrae sapientiae sunt promta ac parata.

Quidni doleam juvenes, qui criticae scientiae facultatam assequi nolunt. Ita enim aditu ad interiores latinarum disciplinarum recessus interclusi nunquam perspiciunt, quid hominum studia complectantur. Quidni doleam rempublicam eruditam, cui hucusque suum constitisse honorem valde laetabamur, ubi de via, quam inde a renatis litteris majores nostri ingressi sunt, declinaverimus? Quidni in arma instigem eos, qui cum ingenii acumine, tum eruditionis copia, tum sua auctoritate satis valeant ad malum amovendum, quod hinc illinc disseminatum esse non ignoramus? Quidni doleam jacturam, quam disciplina scholastica faciet, ubi in gurgitem opinionis mere falsae nos abripi passi fuerimus? Magnam vim esse in verborum notione perspicienda, in scholis nostris ignorari non debet. Plerumque enim discipuli, quorum vagatur animus eo errore criticam scientiam ad bene beateque vivendum nil conferre, ad interiores eruditionis recessus penetrare non gestiunt. Magistris hac humili opinione infectis vellem satis cognita esset mea

4 sen-

sententia, praesertim quum aliter nihil recte fieri, nil recte effici possit. Jubemus alumnos nostros in auctoribus veteribus interpretandis non solum ad rerum ubertatem, verum etiam ad verborum genuinam rationem attendere, ut semper aliquid anquirant, quod spectet et valeat ad animum excolendum et ingenium acuendum. Sed jam ad alia progrediamur.

IV.

IV.

Ars latine scribendi impedit, quo minus veteres scriptores neglecti et contemti jaceant.

Nunquam mihi persuadebitur, ingenue fateor, fieri posse, ut aliquis veteres scriptores classicos ad eorum genuinum sensum intelligere et interpretari discat, nisi eorum orationis indolem perspectam habeat. Qui enim non nisi res in quovis scriptore obvias leviter attingunt, et quasi in eas involant, in opinionem inducti, in grammatica interpretatione versari non opus esse, in scriptorum locis explicatu difficilioribus non diu morantur, nec item pro suis commodis sudant, sed in suspenso relinquunt, contrahantne cum veteribus scriptoribus quandam familiaritatem, an eos censeant dignos, qui neglecti et contemti jaceant. Per se satis patet, nullam esse posse veterum scriptorum interpretationem grammaticam, nisi a diligente, accurata et probata linguae cognitione proficiscatur.

At vero cum interpretatione grammatica et cui succedit critica id officium est conjunctum, ut in difficiliorum locorum sensu constituendo perseveremus, similium copiam exemplorum congeramus, inventa et congesta inter se comparemus, interpretationis apparatum in dies augeamus, aliasve doctrinas, Historiam, Antiquitates etc. in auxilium vocemus. Quid obstat, quo minus auguremur, haec omnia in posterum nugis et ineptiis adnumeratum iri, nisi juventutem studiosam latine scribere jubeamus. An hoc civitati eruditae nil attulit utilitatis ac commodi, ut essent, qui latinae orationis bonitate, elegantia et subtilitate maximam sui admirationem excitarent? (17). Perfacile intelligitur, plures veteres

4* scrip-

(17) Haud defuere viri, qui contenderent, hodie nihil latine scribi posse, quod Romani, qui sub Augusto vixerunt, nec intelligerent nec animo comprehenderent. Ejusmodi vanas voces non esse audiendas, non est, quod planissime demonstremus. Mittamus haec, et audiamus potius ea, quae legun- tur

scriptores ab inscitia et ignorantia monachorum saepenumero corruptos nunquam ad eam, qua nunc fruuntur, puritatem redire potuisse, nisi fuissent, qui graecae et latinae linguae dulcedine et suavitate capti atque deliniti id egissent, ut in veterum scriptorum genuinum sensum inquirerent. Sic factum est, ut, cum vetustis codicibus inter se collatis, tum omni grammaticae et criticae interpretationis apparatu instructi, veterum scriptorum corruptelae mederentur, lacunam explerent, textum emendarent, suspecta et minus convenientia recognoscerent et advocarent quidquid ad scripturae intelligentiam pertineret.

Timens, ne haecce scriptio copiosior fiat, quam nostrum est propositum, non enumerabo a primo ad postremum nomina eorum, qui in veteribus scriptoribus emendandis, interpretandis, corrigendis, recognoscendis et edendis tam felici ingenio versati sunt, ut nil nisi invidia, livor, ignorantia eorum gloriae obtrectare audeat. Facile aliquis objicere posset, illorum virorum immortalium cura et studio criticum, quem vocant, apparatum in tantam molem excrevisse, ut habeamus, quod ad studia nostra maxime faciat: is maximam proderet ignorantiam, non cognitum ac perspectum habens, artem metricam, quae dicitur, ab Hermanno, Vossio, Seidlero etc. ad certas rationes ita revocatam esse, ut hac in re adhuc multa intacta videantur, interpretum et attentione et cura dignissima. Profecto autem haec studia tam felici eventu inchoata ad Antiquitatis monumenta servanda aptissima cessarent, si in illam falsam nos induci pateremur opinionem, linguae latinae usum civitati litteratae nil afferre utilitatis ac commodi. Etsi bene memini, eos, qui

tur in Vita Ruhnkenii a Wyttenbachio conscripta p. 143. „Porro Ruhnkenius illi, de qua diximus, perspicuitati adjungebat latinae orationis bonitatem, elegantiam, suavitatem, lumina, omnino eloquentiae commendationem; ut ejus scriptis nil in hoc genere sit vel jucundius lectu, vel magis ad alliciendum tenendumque studium legentis efficax · a Germanice loquendi facultate desueverat, Belgicae Francicaeque linguae hactenus assueverat, quatenus satis esset ad quotidianum vitae usum: omnem scribendi diligentiam in una ponebat latina oratione: et cum illa consuetudine, tum sua natura, id consecutus est, ut, quod ab initio diximus, immunis ab hujus seculi labe, aurea Latinarum aetate Literarum in Latio natus institutusque videretur.“

qui juventuti studiosae omne tempus in auctoribus classicis legendis consumendum esse jubeant, at latine scribendi artem pestiferam judicent, non id velle, ut interior latinarum disciplinarum cognitio non oppetenda et acquirenda sit. At ab hac lectione nihil boni exspectari potest, nisi latine scribendi exercitationem cum ea arctissime conjungas. Alioquin in grammatica et critica interpretatione semper hospes manebis. Atque ego mihi non in errore versari videor, quantum illud studium ad nostram intelligentiam atque eruditionem conferat. Omissa latine scribendi exercitatione valde dubito, an veteres scriptores in posterum suos habituri sint interpretes, editores, commentatores, eosdem cum ingenii judiciique subtilitate insignes, tum graecarum et latinarum disciplinarum copia satis superque instructos, et si forte habituri essent, saltem jejunos, insipidos, ineptos, insulsos.

Pessimam rem pessime defendunt, qui non habent, unde suam sententiam probabiliter fulciant et tueantur. Quod cadit in eos, qui, circumspiciendi et ruminandi nulla sollertia adjuti, quid rerum humanarum cognitionem attingat, latine scribendi exercitationem ex conventiculis nostris scholasticis exsulatum abire velint. Hac re etiam atque etiam a me perpensa, nunquam me eo adduci patiar, ut alumnis meis commoda intercipiam, ex limpidissimis fontibus profluentia, nimirum ea, quae ex orationis latinae scientia subtiliori oriuntur. Ita enim semper recte intelligent, unde litterae artesque primam originem ducant.

Quos constat sub litterarum renascentium tempus eruditione sua ac disciplina ita excelluisse, ut et apud posteritatem in admiratione semper fore nobis facile persuadeamus, summo veterum auctorum classicorum studio flagrasse putaverim, quod non tam in res involarent, quam orationis latinae indolem et naturam perspicere ac cognoscere conarentur, quippe qui id intermittant, nunquam eo perveniunt, ut recte sciant intelliganque, quaenam mens in scriptoribus antiquis spiret. Quod vero jam a non paucis viris, qui antiquitatis monumenta ex tenebris in lucem protraxere, ita intellectum esse constat, ut non dubites, rectane an falsa sit opinio in veterum scriptorum lectione id praesertim nobis proponendum esse, ut et ipsi orationis latinae facultatem teneamus. Etenim quo majori studio latine scribendi flagrat juventus erudita, eo laboriosior et diligentior ea erit in orationis

nis latinae indole ac natura indaganda, ut et ipsius oratio latina sit plana, sana, polita, elegans et ornata (18).

Sed ea jam naturae humanae est conditio, ut quidquid semel jucundum, gratum ac suave repererit, ita quidem appetat et assequi studeat, ut incepto vel rarissime desistat. Nam et mihi, et multis aliis, qui hac de re disputarunt, satis liquet, illud esse, quod quasi molli lenocinio nos exhortetur et invitet ad veterum auctorum studium. Cujuslibet rei jucunditas, gratia et suavitas animum ita devinctum tenet et captum, ut maximas quasque difficultates superare tentemus. Latine scribendi exercitatione id efficitur, ut juventus erudita in scriptoribus latinis quasi familiam ducat, eos legat et relegat, ad imitandum sibi proponat, et quidquid eruditionis copiam augeat, ad suos usus conferat, exploret et fideli reponat memoria. Etenim ita semper habebimus, unde orationis latinae facultatem teneamus.

Jam et communis intelligentia nobis totam hancce rem notam efficit, nosque in sententiam eorum abire jubet, qui ab arte latine scribendi interiorem latinarum disciplinarum cognitionem proficisci existimant. Latine scribendi exercitatione nunquam omissa, juventus studiosa saepissime ipsos fontes adibit, ut inde hauriat quidquid boni, pulcri et venusti ibi repererit et sibi utilissimum fore judicarit. Sic fieri nullo modo potest, ut scriptores latini contemti et neglecti jaceant, sed potius eorum spoliis nostras copias, facultates, opes, divitias in dies augeamus.

Ex

(18) *Niemeyer* Grundsätze der Erziehung und des Unterrichts. Zweiter Theil. Halle 1810. p. 515. „Sollen Stylübungen wirklich Fertigkeit im Schreiben verschaffen, so mufs man sie *häufig* anstellen. *Ein* wöchentliches Schulexercitium ist in Schulen viel zu wenig. Etwas, sey es auch noch so wenig, sollte täglich geschrieben werden. Denn nur wer *sehr viel* in einer fremden Sprache zu schreiben versucht, bekommt Fertigkeit, und fängt erst an Vergnügen daran finden, wenn er sieht, dafs es ihm gelingt. etc. Cicero de Orat. 1, 33. „Caput est, quod minime facimus, *quam plurimum scribere*" Adeat, qui plura edoceri velit, Creuzer akadem. Studium des Alterthums p. 41.59.

Ex quo satis intelligi debet, talibus laborum nostrorum praemiis propositis, nunquam ea nobis defutura esse commoda, ut natura suffragante orationis latinae aliquam teneamus facultatem.

V.

V.

Ars latine scribendi multum confert ad animum formandum et ingenium acuendum.

Omnes sentiunt unum atque idem, litteras artesque in hunc finem juventuti scholasticae esse excolendas, ut ea ex scholis nostris cultior, eruditior et sapientior exiens ad qualecunque vitae munus suscipiendum evalescat. Nec facile hac in re dissentient, qui semel considerarint, omnem institutionem in nugis habendam esse, nisi animus formetur et ingenium acuatur. Hoc vero semper pari aut simili certe fructu consequimur, studio artis latine scribendi intercedente, in juvenibus, ne hebescant, retinendo et alendo. Quod ut maximam utilitatem affert, ita inprimis valet ad animi cultum. Maximum est enim hujus exercitationis officium, quod in scriptorum lectione cernitur, hanc imponens necessitatem, ut juvenes studiosi non in res solum involent, sed ad orationis latinae structuram artificiumque, voces, dictiones, earumque vim usumque quam diligentissime attendant. Cum scriptorum latinorum lectione id munus est conjunctum, ut tirones dicta et verba in iis obvia fideli reponant memoria. Cui aliquod est cum humanitate commercium, is me non monente intelligit, homini ante omnia id esse efficiendum, ut animus et ingenium subtilitate ad judicandum, facultate ad inveniendum, perspicuitate ad explicandum valeat.

Homo ea quidem est indole, ut lubentius attendat ad res in scripto qualicunque enarratas, quam ad orationis compositionem, elegantiam, perspicuitatem aliasque virtutes. Nullus est, quin nesciat, narrationem qualemcunque in hominum animos facillime descendere. Quae vero discenti nil afferunt difficultatis et impedimenti, eadem facillime excidunt de memoria, qua celeritate percipit animus. Recte memoriam dixeris cellam penariam, unde depromas, si quid animo repraesentare cupias. Qui in scriptorum latinorum lectione ad summum attingunt res, orationis autem indolem et vim intactam relinquunt, nihil in numerato habent, quod, si res postularit, in lucem edere possint. Adi viros immortales, quorum mag-

magnam concepimus admirationem cum ob ingenii praestantiam, tum ob eruditionis copiam, et sciscitare, quanam ratione tantam, quantam vix credideris, gloriam adepti sint. Rem facillimo expedies negotio, si cogitaveris de memoria, cui excolendae, exercendae atque exornandae ita intenti erant, ut sibi nihil profecisse viderentur, nisi ea, quae legissent, memoria retinerent.

Equidem concesserim mihique persuaserim, artis latine scribendi contemtores in juventute erudienda idem velle, quod alii praecipiunt, nimirum ut juvenes litteris dediti memoriam exerceant exornentque. Quo concesso, hoc unum ex multis dignum est, quod a nobis ad sanam rationem exigatur.

Quo quis intentior est ad orationis formam, eo facilius materiem memoriae mandat. Is scriptorem qualemcunque latinum eo in manus sumit consilio, ut in mentem ejus se insinuet eumque sibi reddat familiarem, quo, si res postulaverit, certo duce uti potest. Quod studium ac exercitatio quantum valeat ad animum formandum et ingenium acuendum ex iis, quae modo exposuimus, luculentissime apparet. An vero scriptorum lectio nonnisi materiam, quam illi exhibent, spectans id habeat praesidii, ut animus formetur et ingenium acuatur, valde equidem dubitaverim. Qui et formam dicendi animo imprimit, ut id, quod sentit et cogitat, verbis exprimere sciat, jam hanc necessitatem sibi impositam esse meminit, ut quidquid latinitate donatum eat, quam diligentissime perpendat, discutiat, inquirat, rimetur, lustret, in judicium vocet, grammaticae praecepta non laesurus, sed suum, quem vocant, stilum ad genuinam orationis latinae indolem conformaturus.

Exercitatione latine scribendi e scholis nostris eliminata, studiosae juventuti non ita consultum cupimus, ut, efficacissimo ad disciplinarum latinarum scientiam et facultatem adjumento neglecto et contemto, eruditionis supellectile instructior, animi cultu perfectior, ingenii acumine insignior evadat.

A qua institutione cum nil boni et aequi exspectetur, unumquemque hac in re non hospitem velim rogatum, ut mecum retineat ac tueatur instituendi rationem, quae reipublicae eruditae eam gloriam ac laudem addidit, ut non dubites, re-

rejiciendane an tuenda sit institutio latine scribendi exercitationis cum rationem ducens, tum utilissima et efficacissima quaeque ad ingenium exornandum adjumenta quaerens. Nostro autem jure non utentes, nec juventuti consulentes, ab opinione nos occupari facile patimur, latine scribendi et loquendi facultatem genio germanico, ut ita dicam, fovendo et alendo nil prodesse. Tunc sane verendum est, ne posthac in nostris conventiculis scholasticis si non desidia et ignavia, certe quaedam animi levitas, sui amor et admiratio dominetur, antiquitatis graecae ac latinae interior cognitio contemnatur et eludatur.

Quod ne accideret, majores nostri hanc legem sanxerant, ut litterarum studiosi ad munus qualecunque publicum adspirantes orationis latinae facultatem tenerent. Cursu academico absoluto rite testari jubebantur, quosnam in litteris fecissent progressus, quamnam eruditionis copiam e scholis academicis reportassent, quanam doctrina se locupletassent, et quamnam muneris capessendi facultatem tenerent. Quod, ut moris ratio postulabat, sermone latino fieri solebat. Quo quid potest dici et excogitari utilius? Quid ergo? Ne nos opinionum varietas hominumque dissensio perturbet, id consequamur necesse est, ut consueto majorum nostrorum mori pareamus.

Multis quidem hodie accidit, ut inter tentandum, timore perculsi, ne se tales, quales velint, praestent, alioquin orationis latinae facultatem probe tenentes, cum ingenii praestantiam, tum veri et venusti sensum nec testentur, nec expromant, quid recte eruditeque ad quaestiones respondeant, ita quidem, ut rudes, inscii et sensu trito et formato destituti reperiantur. Eosdem postea civitatem eruditam sua doctrina et eruditione decorasse, saepius ad aures nostras pervenit. Recte monet Gedikius, ut juvenes, muneris publici potiundi causa tentamini se subjecturi, de quaestionibus ad respondendum propositis latine confabulentur. Danda igitur opera est, ut, (quod apud majores nostros prosperrimo eventu factum esse scimus,) juvenibus in litteras incubituris latine scribendi et loquendi occasio offeratur. Etenim ita omnis timor, omnis pavor, omnis animi angor et anxietas longissime aberit. Ut in hunc finem nonnisi duae ad respondendum propositae fuerint quaestiones, tamen coram examinatoribus brevi elaboratione confecta, in luce erit positum, qui quales sint tentamini subjecti, satis testantes, ipsos Minerva non invita in litteras incubuisse, modo orationis latinae puritate, castitate, concinnitate et forsan quadam eloquentia praepolleant. Sic enim nulla dubitatio intercedit, quin timore perculsi et animi angore exantlati, minus prodant, quanam eruditionis copia instructi sint. Nulla est ad eruditionem facta progressio, si qui ita omnem exspectationem decipiant, ut orationis latinae rudes et inscii reperiantur. Utrum ii ad munus publicum capessendum idonei sint nec ne? non est, quod in judicium voces (19).

Quantum in meam intelligentiam cadit, eo inprimis videndum erit, ut juventutem nostram latine scribendi artem nunquam remisso studio edoceamus. Ab officio nostro sane recederemus, si in his addubitaremus. Quod si feceris, tua nihil intererit, qua eruditionis copia instructus sis. Juvenibus munus publicum aliquando capessituris non integrum relinquendum est, utrum ex litteris latinis pulcri et venusti sensum imbibant nec ne? sed potius haec lex saucienda, ut pro suis viribus eruditione atque doctrina se exornent et sibi aditum ad rempublicam litteratam patefaciant, praeceptoribus lubentissimo animo adhibitis in consilium, qua ratione optime id consequantur, ut apud litterarum cultores in numero et honore sint. Quos Musa nascentes placido lumine viderit inque suam amicitiam ita receperit, ut cum ingenii subtilitate ac praestantia, tum docilitatis virtute excellant, eo facilius eruditionis copia se locupletabunt.

Cum vero natura munera sua non pari modo dispertiatur, alium summo amplectens amore, alium negligens, jam est hominis ea, quae ipsi denegata sunt, diligentia, cura, assiduitate et studio sibi vindicare. Haud raro fit, ut ita homo, ab alma natura aliquantum neglectus, labore ac studio in litteris excolendis plus quam pro ingenii habitu proficiat.

Lectores benevoli et intelligentes hanc a me prolatam sententiam non ad eorum judicium interpretabuntur, qui litterarum studiosos, scholis academicis relictis

(19) Vid. V. C. Gedike Gesammlete Schulschriften. Zweyter Band. p. 66. „Einige Gedanken über die Methode zu examiniren.“

tis, nomina in Candidatis professos tam magna disciplinarum latinarum copia instructos volunt, ac Professores in Academia hanc illamve litterarum latinarum cathedram sua doctrina et eruditione decorantes. Quod qui praecipere vellet, indolem humanam nec nosset, nec perspectam haberet. Natura alma noluit, ut homines sibi essent pares cum ingenii viribus et facultatibus, tum, quod in summis bonis semper est habitum et semper habebitur, hujus illiusve negotii tractandi cupiditate. Quid obstat, quo minus contendamus, rempublicam eruditam in periculum discrimenque vocatum iri, ubi juvenibus Musis litaturis unquam relictum fuerit, teneantne aliquando orationis latinae facultatem an ejus plane sint rudes. Neque vero verendum est, ne multi, quorum maxime interest, ut nominis Germanici decus ac gloria in dies augeatur, se tam falsae opinioni emancipent. Totam rem, ut uno verbo repetam, in eo esse positam censeo, ut lingua latina hactenus uti pergamus, quatenus ejus interior cognitio tanquam pro obrussa ut scholasticorum ita academicorum studiorum hucusque sit habita.

Ne vero haec qualiscunque scriptio justo copiosior fiat, jam disputandi finem faciamus necesse est. Plurima quidem, quae nunc in medium protulimus, nonnisi leviter tangere potuimus; attamen vero ea ita in luce sunt posita, ut Lectores benevoli facile intelligant, quid de disciplinis latinis addiscendis praecipiamus. Neque vero ii sumus, qui nobis persuadeamus, rem a nobis ad liquidum esse perductam, sed potius in hac qualicunque disputatione multa ad eam expediendam facientia desiderari; nihilosecius speramus, fore, ut justos atque aequos arbitros nanciscamur, praesertim quum hac in re virorum doctorum sententiae ac judicia mirum in modum varient.

Corrigenda.

P. 15. lin. 3. sui ipsius — *alicujus.*
— 24. — 9. ut tirones exhortentur, impellantur, excitentur — *ut hi Criticorum principes tirones exhortentur, impellant atque excitent.*

Reliqua errata minora, in singulis maxime litterulis, Lectores benevoli ipsi facillime reperient et emendabunt.